



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Bellegambe è Societate Jesu Theologi,  
Enchiridion Theologo Practicum Tripartitum, De Iubilæo  
Ecclesiastico**

**Bellegambe, François**

**Coloniæ Agrippinæ, 1700**

Pars Secunda, De Iubilæo Anni Sancti.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42093**



PARS SECUNDA,

*De Iubilæo Anni Sancti.*

**A**t tendendus imprimis tenor Bullæ concedentis hoc Jubilæum: quod jam conceditur vicesimo quinto quoque anno, ut dictum est P. I. Sect. I.

q. 3.

Sequemur potissimum posteriores Bullas Anni Sancti editas ab Urbano VIII. pro anno 1625. ab Innocentio X. pro anno 1650. & à Clemente X. pro anno 1675. Sunt autem hæ Bullæ invicem uniformes.

SECTIO PRIMA.

DE INCEPTIONE, DURATIONE, MANDATO, ET AMPLITUDINE HUIUS JUBILÆI.

**Q**UEST. I. Quo loco, & tempore incipiat hoc Jubilæum, & duret?

C 7

RESP.



RESP. Incipit Romæ, à primis Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi Domini, & per totum annum durat, atque adeò ad Vigiliam in primis iisdem Vesperis Festi: ea tantum est diversitas, quòd Vesperæ initio anni dicuntur post apertionem Portæ Sanctæ; unde jam ab earum initio cœptus est Jubilæus; At in fine, dicuntur antequam Porta claudatur; unde perdurat annus usque ad finem Vesperarum. Pater ex Bullis etiam anterioribus Filhucius Pœnitentiarius Romanus tr. 8. n. 290. ex Navarro De Jubileo Notab. 24. n. 2. & Notabil. 32. n. 36. benè advertente particulam à, alioqui de se exclusivam, ibi non esse exclusivam primarum Vesperarum. Id quod etiam benè ostendit Pater Quintanadvenas, *Appendice Singular. tr. 8. dub. 5.*

Q. 2. Cur incipiat Jubilæus ab hoc potius festo Nativitatis, quàm à Festo Circumcisionis?

R. Quia antiquus mos est Ecclesiæ Romanæ, annum computare ab illo festo



S. J. De inceptiōe, duratiōe, &c. 63  
festo Nativitatis: unde & Annus Ec-  
clesiasticus dicitur.

Quibus porro cæremoniis indica-  
tur, inchoetur, & finiatur hoc Jubi-  
lanum, videri potest apud Navarrum  
Notabili 34. Lorichium v. Jubilæus An-  
nus n. 18. Gobatum n. 10.

Q. 3. Quid intendat, mandet, & roget  
suâ Bullâ Pontifex?

R. 1. Intendit supremus Christi Fi-  
delium Pastor, Christianos omnes ac-  
cendere ad augmentum Fidei, ejus-  
que testificationem, suâ in Romanam  
Ecclesiam Apostolorumque Princi-  
pes veneratione; ad feriam morum e-  
mendationem, *Hauriendâsq; cum Ju-  
bilo de fontibus Salvatoris aquas salientes  
in vitam eternam.*

R. 2. Mandat omnibus Ecclesiarum  
Prælati, ut Populos suos ad illa, salu-  
tateque Indulgentias consequendas,  
pro suo Pastoralizelo diligenter hor-  
tentur & edoceant.

An verò si id non faciant illi Præla-  
ti, peccent? Non videntur peccare sal-  
tem graviter. Quia Bulla vel nullum,  
vel



64 P. 2. De Jubileo Anni Sancti.  
vel leve præceptum continet, ut rectè  
observat Gobat n. 22. cum Lezanâ.

Et Navarrus Notab. 32. explicans  
Bullam Gregorii XIII. indicentis Ju-  
bilæum anni 1575. ubi habebatur :  
*Mandamus omnibus Patriarchis, &c. ut  
suos quisque Populos diligenter curent ea  
omnia edocendos, quæ ad remissionis & In-  
dulgentiæ prædictæ adipiscendæ prepara-  
tionem fuerint opportuna, &c; omnibus  
utrimque diligenter expensis, conclu-  
dit : Credimus per hanc clausulam obli-  
gari transgressores ejus ad veniale tan-  
tùm, nisi ex contemptu fecerint.*

R. 3. Hortatur & rogat Imperato-  
rem, ac Reges, & Principes omnes  
Catholicos, ut ad Dei, per quem re-  
gnant, gloriam procurandam, pio  
zelo excitentur; præcipuè verò Epi-  
scoporum & Superiorum Antistitum  
Pastoralem sedulitatem adjuvent, &  
à suis Magistratibus & Ministris ad-  
juvari curent, ut improborum licen-  
tiæ coërceantur: & bonorum studia,  
eorum Regiâ ope & gratiâ foveantur;  
maximè autem erga peregrinos be-  
nefi-



S. I. De inceptiōe, duratiōe, &c. 67  
neficientiam exerceant, curentque ut  
tuta sint itinera, &c.

Q. 4. Cū Pontifex ad Jubilæum invi-  
tet Romam omnes Christianos, dārne hoc  
ipso omnibus facultatem eò veniendi, non  
obstante prohibitione Superiorum?

R. Negativè: id enim non est uni-  
versim præsumendum de voluntate  
Pontificis: quia hoc vergeret in ma-  
gnam Christianæ & Religiosæ disci-  
plinæ detrimentum.

Hinc I. Non possunt uxores absque  
virorum suorum consensu Romam  
adire ad lucrandum hoc Jubilæum.  
Possunt tamen viri absque uxorum  
consensu, nisi valdè longa esset pere-  
grinatio, & graviter id ferrent uxo-  
res, juxta ea quæ alibi dicuntur de  
obligationibus matrimonii, & do-  
cent Authores apud Sanchez *De Ma-  
trim. l. I. disp. 41. Quintanad. dub. 3.*  
Gobat n. 19.

Virum autem euntem Romam te-  
nebitur uxor comitari, si ei præcipiat  
vir, modò tamen non nimis longum  
esset peregrinationis iter, (quod pru-  
den-



dentis arbitrio relinquitur judican-  
dum; ipse autem Quintanadvenas *dub.*  
3. censet esse 50. 40. aut etiam 30. leu-  
carum ) adeoque non gravibus diffi-  
cultatibus & laboribus expositum.

2. Idem, proportionem servatâ, di-  
cendum de filiis, qui sub potestate pa-  
triâ degunt, & præcipuè de filiabus;  
quibus sine licentiâ parentum mini-  
mè licet, neque decens foret sine il-  
lis, Romam adire: tenentur siquidem  
sub mortali parentibus obedire in re-  
bus gravibus (qualis hæc peregrinatio  
existimabitur à prudentibus) spe-  
ctantibus ad domûs gubernatio-  
nem, morum correctionem, famæ  
conservationem, &c. ut docent com-  
muniter omnes Doctores. Plurima  
autem & gravissima pericula honoris  
& animæ esse solent in adeò longâ  
peregrinatione.

3. Nec possunt Religiosi sine licen-  
tiâ obtentâ à suis Prælatiis; qui in eâ  
concedendâ ne nimis faciles sint: aliâ  
enim cederet potius in spirituale de-  
trimentum. *Quintanad. dub. 4. Gobat*  
*n. 18.* 4. Nec



4. Nec potest Clericus habens Beneficium, quod requirit residentiam, Romam adire Jubilæi causâ, absque proprii Episcopi facultate. Nam in Conc. Laodicensi Can. 42. dicitur: *Non oportet eos qui sunt Sacrati vel Clerici, sine jussu Episcopi iter ingredi.* Quod intellige de longâ peregrinatione: hæc enim esset in grave detrimentum Ecclesiarum.

Q. 5. *Utrûm Romam adire impediti, Jubilæum hoc lucrari possint?*

R. 2. Vi Bullæ, quâ Jubilæum publicatur, non possunt: quia de illis nihil habetur.

R. 2. Per alteram Bullam, editam ab Urbano VIII. 28. Januar. 1625. ab Innocentio X. 12. Februar. 1650. & à Clemente X. 6. Februar. 1675. poterant omnes Sanctimoniales, Anachoretæ, Eremitæ, Carcerati, & Infirmi, lucrari hoc Jubilæum, præstando opera, ut mox dicitur.

Nomine autem *Anachoretarum* & *Eremitarum*, intelliguntur hîc ii Religiosi, qui soli vitæ contemplativæ



vacant, sejuncti habitatione ab aliis ,  
 & solitarii , sub Prælati tamen obe-  
 dientiâ : qui videlicet *consimile* illa-  
 rum Sanctimonialium *vita genus*, ( ut  
 habet Bulla ) *ut supernarum rerum con-*  
*templationi securiùs vacent, laudabiliter*  
*elegerunt.* Quales meritò censentur  
 esse etiam Carthusiani à Quintanad.  
*dub. 9. Gobato n. 29. & 30. & similes*  
 Religiosi : de quibus in Conc. Chal-  
 cedonenfi *cap. 4.* dictum est : *Qui verè*  
*purèque solitariam eligunt vitam , digni*  
*sunt convenienti honore.* Legatur etiam  
 Appendix 1. post n. 32, Gobati edit.  
 1681.

Illorum Novitios in hac concessio-  
 ne comprehendî, censet Quintanad.  
*dub. 9.* cùm in favorabilibus sub no-  
 mine Religiosorum comprehendan-  
 tur.

Non igitur conceditur istud privi-  
 legium Eremitis illis sæcularibus, et-  
 iam si votum castitatis emiserint, &  
 in eremitoriis procul ab oppidis ha-  
 biteant: de his enim non loquitur Pon-  
 tifex : cùm nec clausuram profitean-  
 tur,



S. I. De inceptione, duratione, &c. 69  
tur, nec Superiorem absolutè ha-  
beant; & potius sint, & vocentur Pœ-  
nitentes, seu, *Conversi seculares.*

Per *Carceratos*, de quibus Bulla, in-  
telliguntur qui carcere propriè &  
simpliciter dicto detinentur, hoc est,  
loco, quo asservantur ne evadant. Un-  
de & Bulla habet, *Carceribus detenti* :  
quo nomine non veniunt relegati ad  
triremes. Gobat n. 29.

Per *Infirmos* hic solum intelligun-  
tur, *diuturnâ infirmitate præpediti*, ut  
habet Bulla. Videntur comprehendi  
etiam epileptici soliti sæpè corripì  
hoc morbo : item leprosi, cæci, clau-  
di, saltem si hi multùm distent Ro-  
mâ.

Quòd si claudus possit quidem e-  
quo, cæcus curru vehi, seu pati qui-  
dem illam vectationem, non tamen  
equum, currum nancisci; tunc adhuc  
dicetur propriissimè *diuturnâ infirmi-  
tate præpeditus* : secùs, si possit equum  
seu currum facillè nancisci. Gobat  
n. 29.

Requirat autem Pontifex ab istis  
in-



incarceratis & infirmis voluntatem conditionatam se conferendi Romam, Jubilæi comparandi gratiâ, ita ut sint eo affecti animo, ut, si abessent impedimenta carceris, infirmitatis, suscepturi essent iter Romanum ad consequendum Jubilæum. Et de hac voluntate debent Confessarii illos interrogare; & , si fortè respondeant se non esse ita affectos, excitent illos ad illam conditionatam voluntatem, propositâ magnitudine oblate gratiæ Pontificiæ, quâ frui non possunt nisi sint ita affecti: Promittitur enim illa, tam *carceratis, quàm infirmis præpeditis tantùm, & qui alias impedimentis longæ incarcerationis, ac diuturnæ infirmitatis cessantibus*, ad hanc (Romanam) Urbem pro thesauris spiritualibus venturi fuissent.

An ista voluntas conditionata eundi Romam, exigatur etiam à Sanctimonialibus, & Anachoretis, atque Eremitis?

R. Negativè: Solùm enim Pontifex exigit ab incarceratis & infirmis, ut  
patet



patet ex verbis Bullæ modò relatis ; nec habetur quidquam, quo illam voluntatem à Sanctimonialibus & Anachoretis exigere se significet ; imò præter negativum, habetur quid positivum, quo significat se non exigere, cùm reddens rationem cur *præcipue Sanctimonialium profectibus paternæ charitatis affectu studet providere*; subjicit, *Quare summoperè optandum est, ut vitæ rationem, quæ eas Angelis quodammodo æquat, constantissimè retineant &c.* Quæ certè non obscure excludunt feriam voluntatem conditionatam peregrinandi Romam, si non adesset impedimentum clausuræ: possent enim optare sublationem clausuræ, sicut carcerati & infirmi optare possunt sublationem carcerationis & infirmitatis. Atqui istud certè admitti non debet.

Idem dicendum de Anachoretis, qui simile illarum Sanctimonialium vitæ genus laudabiliter elegerunt.

Quæ autem ab illis quatuor personarum generibus præstanda sunt ad



consecutionem Indulgentiæ; & qui alii favores ipsis concedantur; dicitur in Bullâ, quæ pro ipsis expediri solet.

Quid, si initio Anni hujus, aliquis ex illis carceratis aut infirmis, præstitis præstandis lucratus esset Jubilæum; & postea à carcere, vel infirmitate liber esset?

Respondeo: Non teneretur ire Romam; nisi velit, stante istâ libertate, in residuo Anni illud iterum lucrari. (Posse etiam pluries obtineri istud Jubilæum, dicitur *sect. 3. q. 3.*)

*Quintanad. dub. 9.*

Quòd, si detentus carcere aut infirmitate, lucratus Jubilæum non fuisset; & postea liber esset tempore sufficienti ad iter Romanum; deberet hoc arripere ad lucrandum Jubilæum. Nam Bulla dicit: *Qui aliàs cessantibus impedimentis &c. venturi fuissent; nisi fortè residuo illo tempore iter Romanum redderetur infestum peste, bello, latrociniis, ut nequiret Romam pervenire: tunc enim esset capax Jubilæi, si posset sincerè dicere:*

Si



S. I. De inceptione, duratione, &c. 73

Si carceratio, aut infirmitas cessasset prius, certè ivissera Romam ex pietate. Gobat n. 19. *fine.*

R. 3. Omnes alii sive Regulares, sive Sæculares; sive viri, sive feminae, quocumque sint impedimento, etiam involuntario, & justissimo, ac Reip. utilissimo detenti; si Romam non accedant, vel ad ipsam iter non suscipiant juxta dicenda *Sect. seq. q. 2.* non lucrantur hoc Jubilæum. Quia solum Moniales, Anachoretas, Carceratos, & Infirmos, de quibus jam actum est, excipit Pontifex, & exceptio firmat regulam in contrarium. Lucrari tamen poterunt in suâ Patriâ, post Annum Sanctum, si, ut fieri solet, concedat Pontifex rogatus ab Ordinariis, ut dicitur

*Sect. 5.*



D

SECTIO



## S E C T I O II.

D E O P E R I B U S I N J U N C T I S I N  
H O C J U B I L Æ O .

**Q**UÆST. I. *Quæ opera præstanda sunt Christi Fidelibus ad consecutionem hujus Jubilæi?*

RESP. Verbis Bullæ: Ut verè pœnitentes & confessi, Beatorum Apostolorum Petri & Pauli Basilicas, Lateranensem quoque, ac Sanctæ MARIÆ Majoris, Alma Urbis Ecclesias, semel saltem in die per 30. continuos aut intermissos dies, si Romani vel Incola Urbis fuerint; seu per 15. dies, si fuerint peregrini, aut alias externi, devotè visitaverint, & pro ipsorum Fidelium ac totius Christiani Populi salute, pace & concordia, pias ad Deum preces effuderint.

I. Igitur requiritur vera pœnitentia, seu dolor de peccatis, & confessio. Non videtur tamen necessario præmittenda visitationibus: cum, ex probabiliori sententiâ, necesse non sit



S. 2. De Operibus injunctis. 75

fit omnia opera præscripta perfici in statu gratiæ; sed sufficiat ita fieri ultimum, ut dictum est P. 1. Sect. 3. q. 2. Tutius tamen est, & omninò suadendum, ut omnia fiant in statu gratiæ. Navarrus *Notab.* 32. n. 37. & seqq. Filiucius *tr.* 8. n. 258. Quintanael. *dub.* 8. Gobat n. 23.

Neque necessariò requiritur confessio venialium. Navarrus *Notab.* 18. n. 17. Zecchius n. 8. Lorichius n. 21. cum Benzonio, &c. Utile tamen est, ut aliqua venialia confessione declarantur. Vide dicta P. 3. Sect. 7.

Neque necessarium est ut confessio fiat Romæ: sufficit ubicumque fiat, dummodo verificetur quòd sanctissimâ Jubilei celebratione durante seu (quod idem est, & habent aliæ Bullæ) Anno Sancto durante, verè poenitens & confessus, Ecclesias designatas visiterit. Quintanael. *suprà.*

Non sufficit tamen secundùm Navarrum *Notab.* 31. n. 30. & *Notab.* 32. n. 40. *sine*, & alios, confessio solùm proposito, sed requiritur etiam actu



76 P. 2. De Jubileo Anni Sancti.  
& de facto. De quo vid. P. 3. Sect. 7.  
q. 1. R. 3.

Non præscribitur sacra Commu-  
nio.

III. Visitari debent quatuor Eccle-  
siæ Romanæ, Sancti Petri, S. Pauli,  
S. Joannis in Laterano, S. MARIE  
Majoris; & quidem omnes illæ singu-  
lis diebus; iisque triginta continuis  
aut intermissis seu discontinuis, à  
Romanis, qui tales sunt non solâ ori-  
gine sed etiam domicilio, & ab Inco-  
lis, hoc est, ab iis qui Romani non  
sunt, sed eò venerunt animo manendi  
saltem magno aliquo tempore, ut me-  
ritò haberi debeant pro habitatori-  
bus Urbis Romæ. Navarrus *Notab.*  
32. n. 42. & seqq.

A Peregrinis autem aut aliàs ex-  
ternis, hoc est, ab Advenis propriè  
dictis, qui Romam veniunt vel devo-  
tionis gratiâ, aut alio fine, animo non  
manendi, sed tantùm subsistendi ad  
aliquot dies, vel summùm per mi-  
norem anni partem; visitari debent  
eadem illæ Ecclesiæ per quindecim  
dies



dies similiter continuos aut discontinuos.

Per diem autem intelligitur dies naturalis, 24. horarum. Unde prædicta visitationes fieri possunt etiam nocte. Lorichius n. 22. Zecchius, &c.

Non est necessarium, Ecclesias visitare eo ordine, quo in Bullâ assignantur; sed primò potest visitari Ecclesia S. MARIE, & ultimò S. Petri, pro cuiusque arbitrio. Quintanad. dub. 2.

Neque necesse est intrare per Portas sanctas, quamvis sit melius ad devotionem; sed neque peccat, qui per illas egreditur. Filliucius, Sanctarellus, & alii, cum Benzonio.

Imò, si non sit facilis ingressus in Ecclesias, sufficet à portâ vel cœmeterio visitare. Quintanad. sup. vide: quæ dicimus P. 3. Sect. 4. q. 9.

Visitatio ista debet esse devota; atque ad eò cum intentione, saltem virtuali, colendi Deum in se, vel in Sancto, qui ibi specialiter honoratur.



Castropalao tr. 24. pu. 3. n. 15. cum aliis. Vide iterum q. 6. modò citat.

III. Effundendæ sunt piæ ad Deum preces pro ipsorum visitantium, & totius Populi Christiani salute, pace & concordia. Quantæ autem, & quales, non præscribitur. Vid. ibid. q. 10. & 11.

Q. 2. An, qui post susceptum iter ad Urbem Romam accedere non potuerunt, lucrari possint Jubileum?

R. Affirmativè. Patet ex Bullis: ex quibus, maximè posterioribus, infero sequentia.

I. Qui unicam v. g. leucam ex itinere confecisset, si instaret justum impedimentum, aut mors superveniret, Jubileum lucraretur.

Meritò autem censet Gobat n. 20. causam legitimam non perficiendi iter, forè mortem v. g. supervenientem uxoris, aut incursum hostium ejusmodi, ut quemvis prudentem ejusdem conditionis virum domi detineret; Similiter, si post ceptum iter, pestis, aut prædones vehementer  
grassa-



graffarentur per loca, per quæ transeundum esset; aut si Romipeta corripatur tali infirmitate, cum quâ posset quidem physicè Româ pervenire, at non moraliter, quia non nisi cum summâ difficultate, vel cum sumptibus triplo, quadruplôque majoribus.

II. Etiam Jubilæum lucraretur Romæ degens, si ibi præpeditus juxta dicta, Ecclesias non visitasset, dummodo intentionem habuisset illud lucrandi. *Quintanad. dub. 10.*

III. Nihil ab istis impeditis aliud requiritur ad consecutionem Indulgentiæ, quàm vera de peccatis pœnitentia & confessio. Tutius tamen esset, preces in Jubilæo assignatas piè ad Deum effundere, si impedimentum illis fundendis non obstaret.

IV. Qui iter Romanum non esset aggressus, haberet tamen aggrediendi intentionem, at impediretur, non lucraretur; lucratus autem fuisset juxta antiquiores Bullas Alexandri VI. & Clementis VII. apud *Quintanad. supra.*



V. An tales impediti à perficiendo itinere, obtraherent non solum Indulgentiam Jubilæam, sed etiam alios favores, si qui sint in Anno Sancto? Censet obtenturos Gobat n. 22. Quia Pontifex pronuntiat se cupere talibus favere, quantum potest; & facit eos Indulgentiæ participes perinde ac si ipsas Basilicas Romanas reipsâ visitassent. Sed de hoc Sect. seq.

### SECTIO III.

#### DE FAVORIBUS ANNI JUBILÆI.

QUÆST. I. Quid potissimum conferat Annus Jubilæus?

RESP. Plenissimam omnium peccatorum Indulgentiam, remissionem, ac veniam. De quâ notat Gobat n. 12. ex Benzonio, quòd ea reliquas Indulgentias certitudine, efficacitate, amplitudine, dignitate, fructu, superet, consideratâ videlicet cum suis causis, & effectibus accidentariis, ut observat idem Gobat n. 294. De quo videri



deri etiam potest Lorichius verbo *Jubilæus Annus n. 6. 7. & 14.* Vide & quæ dicimus P. 3. Sect. 14. q. 2. & seqq.

Quare Bonifacius VIII. in suâ Extravag. *Antiquorum*, quâ indicebat Annum Jubilæum, ait se non solùm plenam, & largiorem, imò & plenissimam concedere veniam peccatorum. Interpretatus est autem Pontifex (ut Joannes Monachus Cardinalis qui aderat præfens, refert in Glossâ istius Bullæ) in Consistorio, hanc Indulgentiam ad eò plenam, prout Clavium potestas se extendit.

Q. 2. An conferatur potestas absolvendi à censuris & casibus reservatis, & commutandi vota?

R. 1. Videtur probabile, fuisse saltem ante Innocentium X. concessam istam potestatem, tum ex definitione Jubilæi allatâ P. 1. Sect. 1. q. 2. satis communiter receptâ: tum quòd paulò antè nominatus Glossator Bullæ Bonifacii VIII. de Anno Jubilæo centesimo, clarè supponat datam potesta-

D s tem



tem in reservata: dicit enim, *Quero, cui sufficit hoc casu confiteri etiam in iis, que Sedi Apostolica vel Episcopis reservantur? Et antè de commutatione votorum, sic habet: Dixit etiam Papa (confistorialiter) quòd vota (excepto Hierosolymitano, & ingressu Religionis) tolluntur per hanc Indulgentiam. Concludit autem idem Pontifex: In huiusmodi presenti, & quolibet centesimo secuturo anno, non solum plenam & largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum: id est, ut ipsemet declaravit, adeò plenam, prout Clavium potestas extendit. Ergo absolutio à reservatis, & commutatio votorum potuit obtineri Jubilæis postea secutis: Declaratio siquidem authentica extenditur ad omnes casus similes, etiam futuros, tanquam si lex ab initio fuisset cum tali interpretatione promulgata. Authent. De raptis mulieribus.*

Alia istius probabilis concessionis argumenta videri possunt apud Gobatum



batum cap. 48. Propter quæ censue-  
runt non pauci, nec ignobiles Scri-  
ptores, inter quos Coriolanus Tr. de  
Casibus reserv. P. 1. sect. 2. art. 10. dicens  
quòd licet in Bullâ Anni Sancti 1600.  
edita à Clemente VIII. non ponere-  
tur nisi quòd concederetur Indulgen-  
tia plenaria formâ Jubilæi; tamen Fi-  
deles omnes absoluti fuerint ab om-  
nibus casibus & censuris, &c. Idem  
dicit Bassæus v. Jubilæus, edit. tertiâ  
anni 1648. practicum fuisse anno  
1625. sub Urbano VIII.

Idem sentiunt Bonacina, De Indulg.  
q. 1. pu. 2. n. 5. Bossius, Lavorius, Ca-  
stropalao §. & n. 5. Georgius de Rho-  
des, & alii, apud Gobatum n. 354. qui  
n. 357. asserit, lectum à se anno 1650.  
Libellum linguâ Italicâ conscriptum  
à viro Theologo, qui clarè assererat  
permissam esse electionem Confessa-  
rii pro absolutione à quibusvis pec-  
catis, & votorum commutatione.

R. 2. Videtur longè probabilius,  
imò ipsi Gobato n. 358. propemodùm  
certum, quòd Innocentius X. non in-



tenderit lucraturis suum Jubilæum , aliud concedere quàm plenissimam Indulgentiam, seu remissionem omnium pœnarum debitarum peccatis quoad reatum culpæ deletis. Mentem siquidem suam quoad hoc Innocentius satis declaravit, ut patet ex testimoniis & rescriptis plurium acceptis & relatis ab eodem Gobato ; ex cuius Tractatu De Indulgentiis prius edito P. 2. c. 5. plura postquam retulit Diana p. 10. tr. 16. R. 5. sub med. sic loquitur : Unde ex his Eminentissimus Dominus meus Cardinalis de Lugo, & ego, in quodam Examine Episcoporum coram S. D. N. ( Innocentio X. ) rectè diximus, malè quosdam Confessarios anno Jubilæi 1651. ( imprimi debuit 1650. ) absque alio privilegio absolvisse à Casibus Papalibus, dispensasse in votis, &c. non enim habebant authoritatem hoc faciendi ex vi Jubilæi Anni Sancti. Hæc Diana.

Quare concludit Gobat n. 364. Si contingat emanare pro Jubilæo futuri Anni 1675. Bullam omninò similem Innocentia-



*tiana, Urbana, seu Urbani VIII. Clementina, seu Clementis VIII. vix evasurum temeritatis notam Confessarium, qui sine ullâ declaratione Pontificiâ assumeret jus in censuras, casus reservatos, & vota. Hæc ille in editione 1670.*

In postremâ verò editione anni 1681. Appendice post istum numerum 364. affert & exponit Notificationem gratiarum, & declarationum factarum à S. D. N. Papâ Clemente X. occasione Jubilæi Anni Sancti 1675. Fuit autem Notificatio, & consequenter concessio & declaratio rerum inibi contentarum, facta mense uno post cœptum Jubilæum, scilicet 1. Februarii 1675.

Porro in illâ Notificatione, Summus Pontifex concedit amplam facultatem Pœnitentiariis Basilicarum Sancti Petri, Sancti Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. MARIE Majoris, & Parochis tam Secularibus, quàm Regularibus, omnium Parochiarum Romæ (durante tamen Jubilæo Anni Sancti) absolvendi videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum



26 P. 2. De Jubilæo Anni Sancti.  
(anni 1675.) Fideles ab omnibus sententiis & censuris Ecclesiasticis, contra illos pronuntiatis, & fulminatis à sacris Canonibus, aut Judicibus, quacumque de causâ: & ab omnibus peccatis, & excessibus, ac delictis quantumcumque gravibus & enormibus: etiam à casibus reservatis non solum ab Episcopis, aut aliis à Prelatis inferioribus, verum etiam à Pontifice ipso, & à Sede Apostolicâ, etiam in Bullâ Cœne Domini, & in aliis quibuscumque Constitutionibus Summorum Pontificum, in foro conscientie tantum: ut tamen Sua Sanctitas declaret se non intelligere aut dispensare, &c. Ita ut iidem Pœnitentarii & Parochi durante hoc Anno Jubilæi sancto, commutare omnia vota (exceptis Castitatis & Religionis) in alia opera pia, &c. possint.

Eandem facultatem pariter concedit Sua Sanctitas Confessariis Religiosis, Regularibus cujuscumque Ordinis, &c. qui à Nobis, vel à nostro Vices-gerente sunt approbati, aut deinceps approbabitur: imò & Religiosis Confessariis eadem datur facultas respectu sui Ordinis: & illi  
æque,



æquè, qui modò Roma versantur, quàm illis, qui hac sunt venturi, hoc Anno sancto, ad quem se extendit tantùm hæc facultas. Hactenus verba istius Notificationis.

Ex illis confirmat Gobat quod antè dixit, in Bullâ Jubilæâ Anni Sancti nihil hoc xvo contineri, nisi Indulgentiam; non verò implicite aut explicitè potestatem eligendi Confessarium, qui absolvat à reservatis, & vota commutat. Nempe specialis illa concessio Clementis X. hoc satis demonstrat, ut Author ille doctè expendit.

Quocirca si Pontifex, Anno Sancto proximè futuro, simile quid non concedat; non erit facultas absolven- di à reservatis, aut vota commutandi, nisi penes eos, quibus specialiter, ut assolet, concessa fuerit.

Q. 3. An possit sæpius obtineri hæc Jubilæa Indulgentia?

R. Affirmativè; toties, quoties isto Anno præstantur opera præscripta. Navarrus Notab. 32. n. 46. & Notab.



88 P. 2. *De Jubilæo Anni Sancti.*  
34. n. Et licet *Filliuciustr.* 8. n. 278.  
referat *Clementem VIII.* respondisse,  
semel tantum posse obtineri (de  
quo vide *P. 3. sect. 2. q. 7.*) tamen ad-  
huc affirmarunt *Zecchius* libro edito  
anno 1601. *De Indulg. & Jubil. c. 4. n.*  
*8. Lorichius n. 23. vers. Duodecimò,* cum  
*Benzonio; Bonacina De Indulg. q. 1.*  
*pu. 2. n. 5. sine,* dicens ita declaravisse  
*Summum Pontificem Urbanum*  
*VIII. Castropalao pu. 12. §. 1. n. 6.*  
*Gobat n. 403.* dicens id plerosque  
Authores tradere.

#### SECTIO IV.

##### DE SUSPENSIONE INDULGENTIARUM ET FACULTATUM, PER ANNUM SANCTUM.

Solent Pontifices, cum publicatio-  
ne Anni Sancti, ferè simul publi-  
care suspensionem Indulgentiarum  
& quarundam facultatum, ut Popu-  
lus Christianus magis excitetur ad  
visitanda limina Apostolorum, alia-  
que



S. 4. De suspens. Indulgentiarum. 89

que peragenda, quibus obtineat plenissimam ibi Indulgentiam, aliis alibi cessantibus.

Notandum autem est primò, non eodem tenore Pontifices expressisse suspensionem Indulgentiarum & facultatum; ut patebit ex sequentibus responsionibus: unde sicuti est quædam Bullarum difformitas, ita quod apud aliquos Scriptores reperitur resolutum secundum unam Bullam, non potest continuò dici secundum alteram resolutum, nisi in illo Bullæ conveniant.

Notandum 2. quòd ultima Bulla suspensiva Clementis X. anno 1675. fuerit quidem uniformis Bullæ Urbani VIII. & Innocentii X. prodierit tamen, uno mense post cœptum istud Jubilæum, Notificatio quædam ejusdem Clementis (de quâ nos *sect. præc. q. 2.* sub finem) ratione, cujus nonnulla quæ ab Authoribus etiam recentioribus resoluta erant, non videantur jam tutò sequenda. Patebit ex dicendis.

Q.



Q. 1. An Roma suspendantur omnes alia Indulgentia?

R. 1. Non fuerunt suspensæ in Jubilæis à Sixto IV. & à Gregorio XIII. indictis. Etenim in utriusque Bullâ expressè habetur: *Indulgentiis Basilicarum & aliarum Ecclesiarum Urbis nihilominus in suo robore duraturis.*

Rectè autem observat Navarrus *Notab. 33.* describens & exponens istam Bullam, per *Ecclesias Urbis*, intelligi etiam eas quæ sunt extra muros Urbis, ut sunt SS. Pauli, Sebastiani, & Laurentii. Quia verba sunt intelligenda secundùm vulgatum modum loquendi: *Ecclesiæ* autem extra muros Urbis, vulgò vocantur *Ecclesiæ Urbis*, seu, de Urbe.

An etiam hoc intelligi possit de Oratoriis & aliis locis piis etiam extra muros existentibus? Affirmat Quintanadvenas *dub. 11.* & fortè etiam concederent Diana & Trullenck, qui censent Oratoria comprehendi nomine *Ecclesiæ*, quando agitur de *Indulgentiis*: sed hanc hypothesin negant



negant Fagundez & Lezana, teste Gobato n. 41.

R. 2. Similiter non fuisse suspensas Romæ Indulgentias à sequentibus Pontificibus: cùm enim contrarium non expresserint, & dicant se suorum Prædecessorum vestigia sequi, dicunt saltem tacitè, non esse suspensas; censent Filliucius n. 252. & alii. Imò Urbanus VIII. id expressè declaravit, teste Bonacinâ apud Dianam P. II. tr. 8. R. 61. qui dicit, ità communiter docere Doctores, quorum multos refert.

R. 3. Videtur tamen Clemens X. in ultimo Jubilæo Sancto, licet Bullam ediderit ejusdem tenoris cum Urbanianâ & Innocentianâ, suspendisse Indulgentias omnes Basilicarum & Ecclesiarum Romanarum. Quia in suo notificativo Decreto, de quo jam non semel meminimus, sub finem, hæc habet:

*Ut autem conservetur pium institutum, & consuetudo visitandi templa, in quibus celebratur Comprecatio 40. horarum, &*  
pra-



præcipua Sanctuaria colendi hæc in Urbe  
concedit Sua Sanctitas, non obstante et  
generali Indulgentiarum suspensione, ut  
Indulgentias solitas consequi possint Fide-  
les utriusque sexûs, quas aliàs conseque-  
bantur: Si visitent septem Ecclesias, &  
Scalam sanctam, diebus determinatis, et  
modo, & his cum conditionibus, quibus illæ  
fuerunt concessæ, easdem lucrantur Indul-  
gentias.

Ubi Pontifex donat peculiaribus  
Indulgentiis visitantes illas Basilicas,  
& donat præmittendo hanc clausu-  
lam, Non obstante generali Indulgentia-  
rum suspensione. Quo loquendi modo,  
videretur mihi (inquit Gobat post nu-  
48. Appendice 2. sine, additâ in postre-  
mâ editione, anni scilicet 1681.) satis  
innuere, illi generali suspensioni  
fuisse inclusas eas ordinarias Indul-  
gentias.

Quare, si Anno Sancto proxime  
secururo edatur Bulla suspensiva In-  
dulgentiarum similis priorum, cen-  
sendæ erunt suspensæ Indulgentiæ et-  
iam Romanæ, nisi aliud concedat

Pon-



S.4. De suspens. Indulgentiar. &c. 93

Pontifex, sicut postea concessit Clemens X. Neque ex peculiari concessione factâ à Clemente, poterit inferri etiam concessio indicentis proximum Jubilæum Pontificis, ut bene demonstrat Gobat post n. 364. exponens Notificationem illam Clementis, factam à Cardinali Carpineo, Pontificis Vicario Generali.

Q. 2. *Quenam Indulgentia, pro vivis alias concessa, extra Romam suspendantur?*

R. I. Suspenduntur omnes Indulgentiæ plenariæ Fidelibus vivis, absolute, sive ad tempus, sive in perpetuum, & sive singularibus personis, sive Communitatibus Religiosis, vel non Religiosis, gratuito concessæ.

Suspenduntur similiter Indulgentiæ plenariæ concessæ Granis, Imaginibus, Numismatibus, &c. etiam in honorem Sanctorum, v.g. Caroli Borromæi, Ignatii, &c. Altaribus, Ecclesiis, Hospitalibus, &c. Item concessæ ad instantiam Principum, &c. Et quidem etiamsi impediti Romam



Romam ire non possunt. Patet ex Bullis.

Excipiuntur I. Indulgentiæ augustissimæ Domûs Lauretanæ: eas siquidem per Bullam Jubilæi non suspendi, declaravit Gregorius XIII. teste Rutilio Benzonio Episcopo Laurentano, apud Gobatum n. 41. qui post n. 48. *Append. 3. in edit. anni 1681.* multis hinc inde disputatis, concludit cum gravissimis Theologis Ill. mi Monasterii Einsidlenfis, seu Eremitani, Ordinis S. Benedicti, in Helvetiâ, videri sibi non suspendi Indulgentias Sacelli Beatissimæ Virginis Einsidlenfis, divinitus consecrati.

II. Non suspendi etiam Indulgentiam Templi B. Virginis Angelorum, seu Portiuncula, ad Assisum siti, putat Gobat altero *Tractatu De Indulg. P. 2. cap. 9.* Quia Bullæ etiam posteriores non suspendunt alias Indulgentias, quàm à Sede Apostolicâ concessas, qualis non est Indulgentia istius Templi: & insuper rescriptum mihi est, inquit idem Gobat, ex Urbe, illam



S. 4. De suspens. Indulgentiar. &c. 95  
illam Indulgentiam, consentiente  
Suâ Sanctitate, quæsitam & acquisi-  
tam Anno Jubilæo 1650. in memoratâ  
Ecclesiâ Beatissimæ MARIÆ AN-  
gelorum.

Eandem Indulgentiam non suspen-  
di, probat P. Andreas Mohr strictioris  
Observantiæ Sancti Francisci, Lector  
Theologus, in Libello, cui nomen  
*Portiuncula Theologica*, cujus Summa-  
rium subnectit Gobat in *Appendice ad*  
*istud cap. 9. postremæ editionis.*

De illâ autem Indulgentiâ, quæ ex-  
tra Assisium comparari solet, respon-  
det meritò Gobat, non dubitare se,  
quin sit suspensa: Quia verba Bullæ  
suspensivæ sunt valdè generalia, &  
specifica simul; nec est major illius  
ratio, quàm aliarum quarundam, quas  
certum est interdici.

III. Non suspendi etiam Indulgen-  
tias Bullæ Cruciatæ (cujus usus est in  
Regnis Hispaniæ, Insulisque adjacen-  
tibus, & Indiis) docet Sanchez *De*  
*Matrim. l. 8. disp. 33. n. 10.* cum Hen-  
riquez, & Emmanuële Rodriquez;  
dicens



96 P. 2. De Jubileo Anni Sancti.  
dicens Clementem VIII. explicuisse,  
mentis suæ non fuisse illas suspende-  
re, ductumque illum ad hoc declaran-  
dum fuisse, quia privilegia istius Bul-  
læ conceduntur per modum contra-  
ctûs, scilicet dantibus eleëmofynam  
in Bullâ designatam. Idem declarasse  
Urbanum VIII. dicit Diana p. 1. n.  
11. qui est de Bulla Cruciatæ, R. 97.

Vide & Trullenck in Expositione  
istius Bullæ, l. 1. §. 1. dub. 12. Castro-  
palao tr. 24. p. 12. §. 1. n. 8. & 10. &  
attende ejus rationem, ad explican-  
das multorum privilegiorum revoca-  
tiones perutilem; ut etiam monet  
Gobat n. 42.

R. 2. Non suspenduntur Indulgen-  
tiæ plenariæ pro constitutis in articu-  
lo mortis. Ità Gavantus in *Addit. ad  
Manuale Episcoporum*, Lezana, qui et-  
iam Romæ scripsit, & alii, quos se-  
quitur Diana p. 11. tr. 8. R. 81. apud  
quem Bonacina & alii testantur ita  
declarasse Urbanum VIII. Et ita de-  
claravit Innocentius X. apud Goba-  
tum n. 45. & in quodam manuscripto,  
quod penes me habeo.

Et



Et quamvis Layman, Tannerus, & alii contrarium tenuerint, nunc tamen non videtur dubitari posse de nostrâ sententiâ; cum Clemens X. in suâ Notificatione id satis videatur declarasse, ut benè expendit Gobatus *Appendice 1. post n. 48. postrema editionis*: & apertè scripsit R. P. de Noyelle 23. Martii 1675. tunc Assistentens Germaniæ, postea Generalis Societatis JESU, Litteris responsoriis ad R. P. Joannem Blauvyart Gallo-Belgicæ Provinciale.

Bellè etiam advertit Gobat, per clausulam, *Declaramus*, quâ utitur Clemens, non modò non ipsum, sed nec Innocentium, nec Urbanum, suis Bullis suspensionis inclusisse Indulgentias pro articulo mortis: cum declarans nihil novi inducat, seu ponat aut faciat de novo; sed, quod antè erat, explicet: & lex declaratoria æquè extendatur ad futura, atque ad præterita.

Istam porrò declarationem meritò intelliges, ait idem Gobat *n. 45. de*

ment

E

arti-



articulo mortis etiam præsumpto verisimiliter, id est, cum mors probabiliter, falso tamen, secutura putatur; juxta ea quæ ipse tradit altero Tractatu De Indulgentiis cap. 34. ubi agit de Indulgentiâ pro articulo mortis.

Indulgentias concessas pro articulo mortis, regulariter intelligi etiam pro præsumpto, docet & Castropalao tr. 24. pu. 4. n. 12. cum Suarez to. 4 in 3. p. disp. 56. Sect. 1. n. 3. ex Felino & S. Antonino.

R. 3. Neque suspenduntur Indulgentiæ partiales, seu non plenariæ, à Romanis Pontificibus concessæ. Et à Sixto IV. quidem non fuisse illas suspendas, patet ex ejus Bullæ verbis: *Suspendimus omnes & singulas plenarias etiam ad instar Jubilæi.* Et ita respondet & benè probat Navarrus Notab. 25. Similiter & à Gregorio XIII. cujus Bullam (habentem ista verba, sed pro *singulas, quas cumque plenarias*) exponit idem Navarrus Notabili 33. & dicit, ad tollendam omnem ambiguitatem,



S. 4. De suspens. Indulgent. &c. 99

tatem, quæ subnasci poterat, consultum à se R. D. Matthæum Contarellum Datarium, respondisse intentionem Sanctissimi Domini fuisse, per istam clausulam suspendere solas & omnes Indulgentias plenarias.

In Bullis autem sequentium Pontificum dicitur generaliter, omnes & singulas Indulgentias: quibus videntur comprehendi etiam non plenariæ. Et ita censet Tannerus to. 4. disp. 6. q. 8. n. 108.

Nihilominus Filliucius n. 251. Lezana, Sanctarellus, & alii, quos sequuntur Castropalao §. 1. n. 7. Quintanad. dub. 13. Dicastillo De Sacram. Pœnit. tr. 9. n. 320. Gobat n. 47. & 48. & subjectâ Appendice 3. &c. censent neque illis Bullis suspendi Indulgentias partiales seu non plenarias à Summis Pontificibus concessas.

Tum quia posteriores illi Pontifices dicunt sequi se prædecessorū suorum exemplum: Prædecessores autem suspenderunt solas plenarias. Tum quia causa finalis suspensionis Indul-



100 P. 2. De Jubilæo Anni Sancti.  
gentiarum est, ut Fideles maximo  
concurſu & devotione accedant vi-  
ſitaturi & frequentaturi Limina A-  
poſtolorum, & alias Baſilicas Urbis.  
Hic autem finis habebitur, etiamſi  
maneant Indulgentiæ non plenariæ,  
ut benè tradit Navarrus Notab. 25.

Quare particula illa, *Indulgentias*,  
in illis Bullis, intelligenda videtur  
cum reſtrictione ad plenarias, niſi  
aliunde conſtaret de expreſſâ inten-  
tione Pontificis, ſuſpendendo etiam  
non plenarias.

R. 4. Multò minùs ſuſpenduntur  
Indulgentiæ ab Ordinariis locorum,  
aliisque Papâ inferioribus conſeſſæ  
aut concedendæ. Patet ex ipſis Bul-  
lis, quibus reſtrictè dicitur: *Indulgen-  
tias & facultates per quoscumque Roma-  
nos Pontifices Prædeceſſores noſtros, ac et-  
iam Nos, conſeſſas &c.*

Q. 3. An Indulgentiæ pro Defunctis  
conſeſſæ, ſuſpendantur Anno Sancto?

R. 1. Non ſuſpenduntur Indulgen-  
tiæ pro ſolis Defunctis directè & ab-  
ſolutè conſeſſæ. Layman, Gavantus,  
Leza-



S. 4. De suspens. Indulgent. &c. 101  
Lezana, Quintanad. tr. 1. & 8. dubio  
utrobique 14. & alii communiter, con-  
tra Tannerum n. 106. Atque id satis  
probat cessatio finis suspensionis pro  
illis, & praxis apud Gobatum n. 45.  
& apud eundem declaratio Innocen-  
tii X. & apud Bonacinam & alios de-  
claratio Urbani VIII.

Accedit declaratio Clementis X.  
in suo Decreto notificativo, cujus sæ-  
piùs jam meminimus: quæ certam  
omniò facit nostram responsionem  
etiam pro futuris temporibus, secun-  
dùm ea quæ notavimus q. præc. R. 2.  
*sub med.*

R. 2. Indulgentiæ concessæ vivis sic  
ut possint illas applicare defunctis,  
censebantur quidem à nonnullis, in-  
ter quos etiam Gobat, non esse su-  
spensæ, & hoc fusè probat Quintan-  
advenas suprà; Verùm hodie absolu-  
tè dicendum est eas esse suspensas, ob  
declarationem Clementis X. in suâ  
Notificatione, his verbis:

*Declaramus, quòd in generali suspen-  
sione Indulgentiarum, non intelligentur*



Indulgentis Altarium privilegiatorum pro defunctis, neque alia concessa eodem modo pro defunctis; verum illa suspensa habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii.

Unde, quod in prioribus impressionibus dixerat Pater Gobat, scilicet Indulgentiam Communionis generalis suspendi quidem quoad vivos, ut hi sibi applicare seu acquirere non possint; non autem suspendi quoad defunctos, seu posse à vivis præstantibus opera præscripta applicari defunctis; hoc, inquam, quod dixerat, visâ istâ Clementis declaratione revocat in postremâ editione anni 1681. & quidem non semel: nam revocat & primò quidem latè refellens resolutionem cujusdam celeberrimi Theologi, Appendice 2. post n. 48. deinde alterâ Appendice post n. 197.

Et R. P. de Noyelle litteris suis, de quibus Q. præc. R. 2. postquam dixit, declarasse Summum Pontificem (Clementem X.) suspensas esse eas  
Indul-



Indulgentias, quæ vivis conceduntur cum facultate applicandi defunctis per modum suffragii, subdit: *Vi-  
hujus declarationis censentur suspensa In-  
dulgentia-Communions generalis; quas  
proinde hic Romæ non promulgamus, &  
imò perentibus negata est licentia promul-  
gandi.*

Quod autem speciatim dictum est de Indulgentia Communions generalis, dicendum est & de aliis concessis vivis cum facultate illas applicandi defunctis; ut habentibus Numismata affecta Indulgentiis Quinque Sanctorum, Sancti Caroli, &c: dicendum, inquam, est, illas sic suspendi Anno Sancto, ut nec ipsis defunctis acquiri seu applicari possint.

Q. 4. *Quoniam alia, præter Indulgentias, suspendantur Anno Sancto?*

R. 1. *Ex Bullis posterioribus, suspenduntur omnes & singula facultates & indulta absolventi etiam à casibus: Sedi Apostolicæ reservatis, quibusvis Ecclesis, Monasteriis... quorumvis, etiam*



104 P. 2. De Jubileo Anni Sancti.  
Ordinum mendicantium personis.....  
concessa.

R. 2. cum Zerolâ Praxi Episc. p. 2.  
v. Annus Sanctus, Filiucio n. 754. Lay-  
man n. 4. Tannero. to. 4. disp. 6. q. 8.  
latè probante n. III. & seqq. Dianâ p.  
I. tr. II. R. 100. citante Sanchez,  
Henriquez, & alios; Lugo De Pœnit.  
disp. 20. n. 145. Bassæo, & aliis com-  
muniter; solùm suspenduntur illæ fa-  
cultates & indulta concessa occasione  
Indulgentiarum, seu propter illas  
consequendas; non autem illa, quæ  
ob alios fines sunt concessa.

Et quidem stando in verbis Bullæ  
Gregorii XIII. non est dubium; cum  
ibi expressè habeatur: *Suspendimus  
omnes & quascumque Indulgentias, &  
earum causâ facultates, concessiones, &  
indulta quacumque à Nobis & dictâ Se-  
de... concessa.* Unde Navarrus Notab.  
33. exponens illam Bullam, testatur,  
consultum à se super eâ re Datarium  
Papæ, respondisse intentionem Pon-  
tificis fuisse revocare sola indulta  
concessa ad lucrandas Indulgentias.

Magis.



S. 4. De suspens. Indulgent. &c. 105

Magis dubitari poterat , attentâ Bullâ Clementis VIII. in quâ verba illa, *Indulgentiarum causâ*, omiſſa fuerant. Sed idem Pontifex interrogatus dixit, eandem fuiſſe intentionem ſuam : & ad tollendum dubium, edita fuit iterum eadem Bulla, additis eiſdem verbis. Filiucius, Lugo, &c.

Anno porro 1625. in Bullâ Urbani VIII. omiſſa fuerunt eadem verba; forte, quia ex Bullâ primâ Clementis VIII. transcripta fuerat. Quare, cum iterum de hoc dubitaretur, reſolvit Lugo , non eſſe cenſendas revocatas alias facultates, quàm, ut antè, conſeſſas *Indulgentiarum causâ* : Tum quia Urbanus ibi dicit , ſe ſequi exemplum Prædeceſſorum in illâ revocatione : tum propter alias rationes, quas ſubnectit. Denique ( ait ) poſtea idemmet Sanctiſſimus interrogatus hoc ipſum reſpondit, & dixit, hanc ſolam fuiſſe ſuam intentionem : quare de hoc non fuit ampliùs dubitatum.

Quapropter , cum Bullæ ſequen-

E s

tium



tium Pontificum, Innocentii X. & Clementis X. sint concepta iisdem verbis, quibus Urbani VIII; consequenter dicendum est similem interpretationem admittere, præsumique debet esse eandem ipsorum & futurorum mentem, quamdiu de opposito minimè constiterit.

Hinc I. non suspenduntur facultates concessæ Episcopis jure communi, & à Conc. Tridentino Sess. 24. de reform. cap. 6. Zerola Prax. Episcop. p. 2. v. Annus Sanctus, Bassæus, Quinranad. dub. 16. qui idem dicit & probat de facultatibus, quas jure communi, & ratione sui officii, habent Prælati Regulares, ad absolvendum suos subditos à peccatis & censuris Papæ reservatis, &c.

II. Nec facultates, quas habent Regulares ex vi suorum privilegiorum, ad absolvendum à casibus Sedi Apostolicæ reservatis: Quia illæ non sunt concessæ intuitu Indulgentiarum, sed ob alias causas. Lugo supra, Bonacina De Sacram. disp. 6. q. 1.

pu. 8.



S. 4. De suspens. Indulgent. &c. 107  
pu. 8. n. 2. Bassæus, Quintanad. dub.  
17. Gobat, &c.

III. Non suspenduntur facultates  
absolvendi &c. ab Ordinariis loco-  
rum concessæ. Bullæ enim de his non  
loquuntur, sed tantum de concessis à  
Summo Pontifice. Idem dicendum  
de facultatibus concessis à Nuntiis  
& Legatis Papæ. Navarrus Notab. 28.  
n. 17. & seqq.

Q. 5. Quando nam incipiat & desinat  
suspensio Indulgentiarum & facultatum  
in ordine ad illas concessarum?

R. 1. Bullæ posteriores suspenduntur  
durante Anno Sancto; quo durante, de-  
clarant illas nulli prodesse aut suffragari  
debere. Irritum quoque & inane decer-  
nunt, si secus super his à quoquam, quavis  
authoritate, scienter vel ignoranter conti-  
gerit attentari.

Incipit igitur suspensio, cum inci-  
pit Annus Sanctus, hoc est, à primis  
Vesperis Vigiliæ Nativitatis Christi;  
& desinit, cum desinit Annus San-  
ctus, hoc est, in fine Vesperarum ejus-  
dem Vigiliæ Anni sequentis.

E 6

R. 2.



R. 2. Si ederetur Bulla similis Gregoriana & Sixtina; tunc non revalescerent ex vi illius, Indulgentia, statim post transactum Jubilæum. Nam illi Pontifices eas suspenderunt *usque ad suum, & Sedis Apostolicæ beneplacitum*; quare non potuerunt redintegrari sine novo consensu. Ita Navarrus *Notab. 28. n. 27. & seq. & Notab. 33. n. 7.* dicit, id sibi declaratum à Datarario Gregorii XIII. Tannerus *n. III. Gobat n. 52.* cum Benzonio, Zerolâ, & Emmanuële Rodriquez etiam apud Castropalaum *pu 12. n. 12.* qui tamen *n. 13.* arbitratur, uti & Quintanadvenas *dub. 18.* illud, *Pontificis & Sedis Apostolicæ beneplacitum*, non se extendere ultra Annum Sanctum.

Q. 6. An, si Indulgentia plenaria concessa esset ad 7. 15. &c. annos, & interveniret Annus Jubilæus, qui suspendit omnes, & singulas Indulgentias plenarias; computandus esset annus ille, quo suspenditur Indulgentia, ut unus ex illis 7. 15. &c. annis?

R. Negative, nisi fortè haberetur  
ad



S. 4. De suspens. Indulgent. &c. 109  
ad 7. annos proximos, &c. Lege Gobatum tr. de Jubil. n. 56. & altero tr. de Indulg. n. 663.

Q. 7. Quam pœnam incurrat publicans, &c. Anno Sancto alias Indulgentias præter eas, quæ in ipso Jubilæo continentur?

R. Patet ex verbis Bullæ: *Præcipimus & mandamus, ne interim alia, quàm indicti à Nobis prædicti Jubilæi Indulgentia, sive publicè, sive privatim, quovis prætextu, ubi vis locorum & gentium, sub excommunicationis eo ipso incurrendæ, aliisque arbitrio Ordinariorum infligendis pœnis, publicentur (publicè manifestentur & divulgentur) vel annuntientur (proferantur etiam in parvis conventibus, privatis colloquiis, etiam coram uno, domi, scripto, aut verbo, afferendo aut dicendo, Indulgentias alias hoc Anno extare, præter eas quas affert hoc Jubilæum) aut in usum demandentur (id est, secundùm Quintanad. dub. 15. faciendo diligentias seu opera ad lucrandas illas alias Indulgentias; at secundùm Gobatum*



n. 54. inducendo alios ad conandum lucrari Indulgentias per Jubilæum suspensas: plus enim non significat, in usum demandare.

Quare, inquit Gobat, malè quidem ageret, qui requisita ad lucrandas Indulgentias plenarias *Quinque Sanctorum*, *Congregationis Rosarii*, &c. perficeret Anno Sancto cum intentione eas omnes lucrificandi; at tamen excommunicationem non incurreret. Ita censuerunt Viri docti, à me super hoc dubio consulti.

Observa I. non incurri excommunicationem ab ignorante præceptum illud, aut annexam censuram, ex probabilissimâ Doctorum sententiâ non incurri censuras & alias pœnas Ecclesiasticas ab ignorantibus jus seu præceptum, factum, aut ipsas pœnas. De quo alibi; & Gobat hîc n. 53: Nullam censuram reipsâ incurri, nisi à consciis illius, communissima, verissimaque opinio est.

II. Non incurritur illa excommunicatione à publicante, nuntiante, aut in usum demandante Indulgentias non ple-



*S.4. De suspens. Indulgentiar. &c. III.*  
plenarias: solum enim suspenduntur  
Anno Sancto Indulgentia plenaria,  
ut dictum est q. 2. R. 3. atque adeo  
hae solae prohibentur publicari, nun-  
tari, &c. ut ipsi Navarro respondit.  
R. mus D. Datarius de mente Grego-  
rii XIII. Juerit legisse Navarrum.  
*Notab. 33. n. 6.*

III. Neque incurreret; qui ex pro-  
babili opinione censens aliquas In-  
dulgentias etiam plenarias non esse  
suspensas, eas publicaret, &c. Gobat  
*n. 53. Quintanad. dub. 15.* Sed an ex-  
pediat has aut illas publicare, &c. vi-  
deat vir prudens: evitanda siquidem  
Praelatorum offensio, scandalum, &c.

IV. Peccaret quidem graviter, qui  
temerario ausu, publicaret, &c. fa-  
cultates absolventi à casibus Papae re-  
servatis, &c. non esse suspensas; non  
tamen incurreret excommunicatio-  
nem Bullae suspensivae: Quia illa in-  
fligitur solum publicantibus,  
&c. Indulgentias suspensas;  
ut patet ex Bulla.

## SECTIO



## S E C T I O V.

DE JUBILÆO POST ANNUM SAN-  
CTUM QUIBUSDAM PROVINCIIS  
CONCESSO.

**E**Xtensionem Jubilæi Anni San-  
cti, non multò post Annum San-  
ctum, Provinciis extra Italiam sitis  
fecere Clemens VIII. anno 1601. Ur-  
banus itidem VIII. 1626. Innocen-  
tius X. 1651. & Clemens X. 1676. Fe-  
cerunt autem non motu proprio, sed  
ad instantiam vel Nuntiorum Apo-  
stolicorum pro Provinciis, in quibus  
agebant Legatos Pontificios, vel  
ipsorum Episcoporum sollicitantium  
pro suis Diocesisibus.

Præscriptæ verò sunt conditiones  
multùm diversæ ab iis, quæ solent in  
cæteris Jubilæis extraordinariis præ-  
scribi.

Exemplar Bullæ Jubilæi istiusmo-  
di concessi à Clemente VIII. in tri-  
bus quatuorve articulis diversum est  
ab



ab exemplari Jubilæi concessi ab Innocentio X. quod refert integrum Pater Gobat n. 412. Jubilæum autem, quod obtinuit anno 1676. Eminentissimus Princeps Elector Trevirensis, ejusdem planè est tenoris cum exemplari Innocentii X. ut mihi constitit cum eo tempore morarer Luxemburgi, quæ Civitas subest Trevirensi Archidiocesi.

De ejusmodi Jubilæo nullum Authorem à se repertum, qui scripserit elucidandi gratiâ, scribit diligens Authorum investigator Gobat; nec ego alium ab hoc inveni. Quare ex ipso quarundam quæstionum resolutiones, & ex iis quæ Treviris tunc Luxemburgi accepi, breviter afferam.

*Quæst. 1. Circa illa verba Bullæ : Quatuor Ecclesias, vel Capellas, aut loca pia, per Ordinarium N. arbitrio suo semel tantum deputanda... visitantibus.*

*Q. An Episcopus possit diversas Ecclesias in diversis Urbibus, pagis, &c. suæ Diocesis, designare?*

*R. Viderur posse: Tum ex praxi in ejus-*



114 P. 2. De Jubilæo post Ann. Sanct.  
ejusmodi Jubilæis hætenus impetra-  
tis; quæ non videtur latere posse Pon-  
tificem, cum illam videant Apostoli-  
ci Nuntii, qui & Pontificis men-  
tem noverint. Tum quia verba Bul-  
læ, utpote in materiâ valdè favora-  
bili, sic interpretari possumus, serva-  
tâ eorum proprietate, ut solùm man-  
det Pontifex Ordinario, ut minimùm  
quatuor loca pia designet visitanda;  
visitanda, inquam, non ab universis  
(nec enim textus nos cogit ad hæc  
angustias) sed à singulis Dicoesanis;  
& quidem semel dumtaxat designet,  
id est, permaneat constans in designa-  
tione semel factâ, nec mutet. Hoc  
autem verè habebitur, si Ordinarius  
designet pro Incolis hujus Districtûs,  
quatuor Ecclesias A. B. C. D; pro al-  
terius autem Districtûs ejusdem Dicoe-  
cesis habitatoribus, Ecclesias E. F. G.  
H. Propriissimè enim dicetur desi-  
gnasse quatuor loca visitanda à suis  
Dicoesanis, idque semel.

Q. 2. Circa illa verba: *Confessarios,*  
*quos dictus Ordinarius, Jubilæi hujusmodi*  
*causâ,*



S. 5. De Jubileo post Annum Sancti. 115.  
causâ, in statutis Ecclesiis deputave-  
rit, sibi eligere valeant. Q. An vi Bulla  
assignandus sit certus numerus Confessa-  
riorum?

R. Negative. Quia Bulla nullam  
prorsus restrictionem facit numeri  
Confessariorum.

An Confessarii deputati debuerint ex-  
cipere Confessiones in illis dumtaxat Ec-  
clesiis, quae erant visitandae?

R. Neg. Spectando saltem praxim  
communem. Neque enim credibile  
est, quod Religiosi, qui solent suas  
Confessiones peragere in cellis, seu  
conclavibus suorum Confessariorum,  
vel in Capitulo, volentes consequi  
hoc Jubilæum fecerint confessionem  
in Ecclesiâ visitandâ.

Deinde quibusdam Diplomatum  
Ordinariorum, facta est potestas om-  
nibus Confessariis approbatis exci-  
piendi confessiones in ordine ad Ju-  
bilæum, sine mentione loci seu Eccle-  
siae designatae.

Atque his conformiter respondit  
unus è nostris Theologiae Professori-  
bus



116 P. 2 De Jubil. post Annum Sanct.  
bus Trevirensibus anno 1676. quo  
concessum erat Jubilæum Archidie-  
cesi Trevirensi, à me interrogatus,  
quid videretur intelligendum per ly  
*In statutis Ecclesiis.* Sic ergo ille 13. Au-  
gusti ejusdem anni 1676. Respondeo, *In*  
*statutis Ecclesiis, videri mihi eas, ad quas*  
*supplicationes ducendæ, vel in quibus pre-*  
*ces fundendæ sunt, in quibus utique Roma*  
*Confessarii expositi, ut non sit opus cir-*  
*cumcursare: non tamen excluduntur*  
*alii, præsertim cum in assignatis hîc Ec-*  
*clesiis sæpè nulli, & in aliis sint quibus æ-*  
*què potestas committitur. Hæc ille*  
*Theologus.*

Nempe, ut etiam observat Gobat  
n. 439. non dicitur in Bullâ, Confes-  
siones esse faciendas in Ecclesiâ, sed  
faciendas illis, qui sunt deputati in  
statutis Ecclesiis; omnes autem, qui-  
bus communicatur ab Ordinario po-  
testas excipiendi confessiones obli-  
gatorum visitare hanc aut illam Ec-  
clesiam, rectè dicuntur esse deputati  
pro illâ Ecclesiâ: tum quia sunt desti-  
nati pro visitaturis talem Ecclesiam:

tum



tum quia hoc ipso quòd sint ab Ordinario deputati ad excipiendas confessiones visitantium hanc aut illam Ecclesiam, debent excipere in illâ, si necessitas exigat.

Q. 3. An iustius Bulla, liceat Confessariis designatis commutare vota?

R. Neg. Quia hoc ipso quòd Papa fecerit expressum jus petendi absolutionem à reservatis & censuris, non factâ ullâ mentione commutationis votorum, hanc non posse fieri, prudenter infertur. Gobat n. 442. & Appendice finali.

Q. 4. Quis sit proprius sensus horum verborum, Ad effectum ipsius Jubilæi consequendum?

R. Hic est: Quòd non datur potestas absolvendi, nisi illos qui habent animum consequendi Jubilæi; qualem habent omnes illi & soli, qui intendunt peragere omnia præscripta. Quòd si quis absolutus à censuris, cætera non perficeret, non reincideret; ut dicitur P. 3. Sect. 10. q. 4.

Q. 5.



118 P. 2. De Jubil. post Annum Sanct.

Q. 5. An audiens etiam die Dominico Sacrum in Ecclesiâ designatâ, censeatur visitare Ecclesiam?

R. Affirmativè. Possunt enim opera ex voto aut præcepto Ecclesiastico debita computari inter sufficientia ad Indulgentiam; ut dictum est P. I. S. 3. q. 1.

Q. 6. An Jubilæo concessio Diœcesi A. possint frui peregrini, si, ut in Bullis Innocentii X. & Clementis X. concedatur Omnibus Christi Fidelibus Civitatis & Diœcesis A?

R. Cum Gobat n. 465. probabiliter posse. Neque enim Jubilæum illud est merè personale, sed etiam locale. Et peregrinus Diœcesis A, potest pro tunc vocari Christi Fidelis Diœcesis A, sive Fidelis existens in Diœcesi A.

Verfamur in materiâ favorabili; cujus verba sunt amplianda, ex Baldo & aliis. Rursus, secundum multorum opinionem, peregrini, saltem si ad plures dies morentur in  
ista



S. 5. De Jubil. post Annum Sanct. 119  
ista Diœcesi, tenentur ad servandas  
ejus leges.

Q. 7. An soli illi capaces sint istius Jubi-  
lei, qui propter impedimenta nequiverint  
ipso Anno Sancto adire Romam?

R. Negat. Sed & omnes alii etiam si  
valuerint adire & non adierint. Quia  
verba Bullæ sunt generalissima: Om-  
nibus & singulis utriusque Sexûs Christi  
Fidelibus Civitatis & Diœcesis.

Neque Ordinarii petunt illam  
gratiam pro iis, qui non potuerunt  
adire Romam, sed, pro omnibus suis  
Diœcesanis. Unde nec multorum im-  
pedimentum est Pontifici causa, sed  
sola occasio quædam largiendæ istius  
gratiæ.

Atque hoc confirmat praxis Ordini-  
narium & Confessariorum, ad om-  
nes, sine restrictione, gratiam illam  
extendentium. Et Bulla ipsa expressè  
extendit ad eos etiam qui forsitan Ro-  
mam venerunt, ac Jubilæum ipsum quovis  
modo consecuti sunt.

Q. 8. An, si Parochus demandet alia  
& diffi-



120 P. 2. De Jabil. post Annum Sanct.  
& difficiliora opera, quàm Episcopus de-  
creverit, lucrentur Jubilæum, qui ea non  
perfecerint?

R. Affirmativè. Sufficit enim ut  
perficiant ea quæ Episcopus indica-  
verit. Nempe, sicuti Episcopus non  
potest plus imponere, quàm Papa  
præscripserit; ita nec Parochus plus,  
quàm Episcopus.

Q. 9. Ad quas personas extendatur  
clausula finalis, qua tribuit Ordinario  
amplam facultatem disponendi de omni-  
bus & singulis in Bulla requisitis?

R. Extendi non solum ad cujusvis  
Ordinis Moniales, ac Orphanorum, alia-  
rumque mulierum, in communi viven-  
tium, Congregationes, ( de quibus im-  
mediatè agit Bulla ) ut censet Gobat  
n. 509. & seqq. sed etiam ad quoscum-  
que alios, cum quibus aliter facien-  
dum, ordinandum, &c. ipsi Ordina-  
rio prudenter visum fuerit *Animarum*  
*saluti expedire*. Ita sentiebat doctissi-  
mus Theologus Pater Georgius Ly-  
prandus, apud ipsum Gobatum. Idem  
sen-



S. 5. De Jubil. post Annum Sanct. 121  
senserunt & practicarunt Germaniæ  
Antistites, teste eodem.

Ducor autem ad ita sentiendum,  
ex tenore Bullæ attentè consideratæ,  
& mente Pontificis, qui Jubilæum  
istud liberali & paterno affectu, ad  
supplicationes Ordinarii, concedit,  
*volens illorum spirituali consolationi, ac  
Animæ salutî providere.*

Quatenus verò potestas illa, facta  
à Pontifice, disponendi circa expressa  
in Bullâ, addendo, demendo, mu-  
tando, &c. extendatur; doctè  
discutit Gobat n. 499.  
& seqq.



F

PARS